



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Reuerentiam quantam teneamur nostris exhibere praelatis. Cap XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Reuerentiam quantam teneamur nostris exhibere Prælati.

CAPVT XL.

In simplicitate ambulans, quam sic securus.

Nemo securius ambulat, quam qui in simplicitate cordis ambulat, qui simplici omnia oculo intuetur, qui de superioribus suis sublimiter sentit, illisque affectum reuerentiæ, dilectionis atque obedientiæ, sincerum ac castum semper exhibet. Qui verò aliter agit in tentationes varias à Deo aut labi, aut etiam deficere finitur. Transeundo patrem, quando ei inclinans, in corde tuo dic: O sancte pater, ora pro me. Item: Faciat me Deus participem sanctarum orationum tuarum. Item: Ego commendo me tibi, & per te Deo in visceribus charitatis Christi.

Resignatio sui omnigena quam sit cuique necessaria: pertinacia proprii sensus quam sit detestanda atque Dei providentiæ omnia committere nebeamus.

CAPVT XLI.

Providentiæ quomodo sint omnia committenda diuinæ.

Cuncta providentiæ diuinæ, eiusque beneplacito committenda sunt, præsertim ea quæ humanæ non subiacent industriæ, & quæ futura, aut incerta sunt. De illis enim nihil est homini aliud tractandum, quam ut ea beneplacito diuino eiusque committat providentiæ, extra quam nihil est appetendum. Quapropter si in consultatione es multorum, & cogaris tuam sententiam dicere, aut si aliqua te necessitas, siue propria, siue aliena urgeat petere aliquid seu procurare, non sis in tua petitione, sententia, opinioneve pertinax, aut importunus, sed semel bisve dixisse sufficiat. Rem deinceps omnem committe Deo, credens, si quam desideras rem, placuerit Deo, fiet: & verbi studijque tui erit fructus. Sin minus, tu quis es qui procurare auderes rem quæ Deo displiceat? Aut quomodo contra Domini voluntatem auderes moliri quicquam? Quam diu igitur Dei ignoras voluntatem, Deo, vbi semel bisve quod tuum erat pro tuo officio nifus es, totum committe. Peccato itaque quoniam excluso, alienam magis opinionem sequere. Disce re cupita, aut etiam necessaria carere, vbi semel bisve rogaueris hominẽ (nisi obliuio ei qui rogatur & dare velit, intercessisset) donec Dominus ordinauerit, aut prouiderit tibi. De manu Domini omnia accipito, ac si Dominum audires in singulis tibi loquentem. Fili, hoc ferto propter me, aut hoc facito propter me, quia maiora ego tuli propter te. Itaque cuncta quæ tibi occurrunt, siue tristia sint, siue læta, peccato solo excludo, per quem curaque tibi euenerint, à Domino arbitrare eadem tibi missa, nec aliter fieri debuisse aut potuisse. Proinde haudquaquam ad eum respicias per quem tibi sit iniuria

Pertinaciam in propria opinione petitioneue esse cauendam.

De manu Domini omnia patienter accipienda. Occurrunt omnia vbi de manu Domini sint accipienda.